

quod tamdiu stringit, quamdiu ratio et convenientia aliud non permittit; tum quia nimia indulgentia fovet scelera, præbetque ansam delinquendi. Nec jure aggratiandi, quoad pœnam capitalem, nisi moderatè admodum, uti oportet, ne sceleris impunitas ad sequelam trahat alios. Imo passim utendo jure aggratiandi peccare potest Princeps graviter in Rempublicam; cui se obligavit ad præstandam securitatem, quantum potest, in vita, bonis, etc. adeoque ad tollendos Reipublicæ noxios, facinorosos homines; qui non satis cohiberentur metu mitioris tantum pœnæ, si pœnæ capitalis sit facilis condonatio.

622. *Obj. I.* Tenetur, quicumque cum summo imperio præest Reipublicæ ex pacto primævo cum Republica inito, ad ejus procurandam tranquillitatem et securitatem adhibere media necessaria, ac proinde in illius violatores condignis pœnis animadvertere, ut ab his nihil metuendum sit Reipublicæ; ergo jure naturali obstringitur Princeps, criminis capitalis reos punire pœna capitali, maxime homicidas; quia nihil publicæ securitati ita contrarium, quam occidendi facultas. *Conf.* Et vero homicidam voluntarium esse pœna capitali plectendum ipsa naturalis ratio videtur insinuare; ex naturæ enim dictato, ut ait in hunc locum *GROR. Tit. A. Crit. Sacr. Cainus, occiso fratre, inferebat: Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me.* Gen. 4. 13.

*II.* Homicidam voluntarium occidendum esse, jus divinum statuit; ergo, hoc casu, non est locus juri aggratiandi; cum, quacumque potestate gaudeat summus Princeps, juri tamen divino semper est, et manet subditus. *Prob. Ant. Gen. 9. 6.* ait Altissimus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Quæ lex renovatur *Exod. 21. v. 12.* et seqq. ac *Num. 35. v. 16.* *reus homicidii, et ipse morietur;* perque sequentes textus diserte prohibetur, ne multa pecuniaria exigatur ab homicida; sed statuitur, quod ipse debeat mori.

*III.* Adstipulatur lex nova non obscure *Matth. 26. v. 52.* *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Apertius ex *Apoc. 13. v. 10.* *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* ergo.

*Ad 1<sup>am</sup>.* R. N. Simpliciter; vel ad summum *D. Cons.* Si alio modo procurari tranquillitas et securitas non posset *C.* si possit, uti alio modo procurari adhuc potest *N.* Vi pacti primævi cum Republica inito tenetur Princeps Reipublicæ, quoad potest, procurare tranquillitatem, et securitatem in vita, et bonis; sed non tenetur per unum determinate medium vi ejus pacti; ubi enim pactum illud? Cum igitur mediis, et pœnis aliis, quam capitali, possit eundem obtinere finem; non obligatur eundem procurare præcise infligendo pœnam capitalem. Aliud foret, si alio medio jam moraliter ille finis haberi non posset; sed propterea jam diximus, uti pœna non debet facile remitti ex integro, sic jus ipsum aggratiandi esse moderate usurpandum. Pariter ex jure naturæ antecedenti etsi inferatur, delicta punienda esse; determinatus tamen puniendi modus ex eo inferri nequit.

*Ad Conf. R. 1<sup>o</sup>.* At nihilominus Deus Cainum occidi severe prohibuit. *Ibid.*

*R. 2<sup>o</sup>.* Inde ad summum sequitur, non inique agere Principem, interficiendo homicidam; minime vero, quod interficere vi præcepti naturalis debeat.

*Ad 2<sup>am</sup>.* R. Leges judiciales testamenti veteris per Christum abolitæ sunt, neque nunc amplius stringunt; ergo inepte illæ huc afferuntur.

*Ad 3<sup>am</sup>.* *N. ass. Ad prob. R.* Christum hæc dixisse ad mentem legum judicialium Judæorum, quæ tum temporis, nondum promulgata lege nova nondum erant abolitæ, ut sensus sit: *Lex vult, ut, qui occiderit gladio, similiter occidatur;* ut dicitur *cit. loc. in object. 2<sup>a</sup>.* præsertim *Num. 35. 16.* *Si quis ferro percusserit, et mortuus fuerit qui percussus est: reus erit homicidii, et ipse morietur.* Estque is obvius verborum Christi sensus. Non igitur hic fertur lex nova observanda in lege evangelica.

*Ad Conf. N. Cons.* Non enim hic sermo est de modo in judiciis humanis observando; sed juxta litteram ibi consolatur, erigitque servos Christi propter hunc vexatos, ut patientes persecutiones sperent, ipsos liberandos esse; malis intentatis e contra in auctorum capita Dei judicio redundaturis; postquam enim dixisset: *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi;* tum subdit: *hic est patientia, et fides Sanctorum.*

### ARTICULUS III.

POSSITNE JUDEX JURIDICE PROBATUM REUM, QUEM TAMEN PRIVATA SCIENTIA SCIT INNOCENTEM, CONDEMNARE IN CAUSIS CRIMINALIBUS?

633. In hac controversia convenit inter omnes, judicem eo casu teneri ex justitia, tentare media licita omnia ad liberandum innocentem, inveniendos causas ad repellendam accusationem injustam; summa dexteritate examinando testes, dum dissentientes faciat exemplo Danielis, dissimulando custodiam carceris; remittendo causam ad superiorem judicem, etc. verbo: præstando, quæ potest, ne opprimatur innocentia. His vero nihil proficientibus, queritur, debeatne, ac possit tunc condemnare probatum reum, quem scit innocentem? Affirmativam sententiam passim amplectitur schola Doctoris Angelici. Negativam in causis *criminalibus majoribus*, ubi de pœna mortis et mutilationis agitur, tuentur *LESS. LAYM. HAUN. PYRRH.* aliique, non tamen in *minoribus*, ubi de sola exilii pœna vel afflictiva duntaxat corporis, privatione officii, etc. agitur, nec in *civilibus*. E contra rursus utrobique negant *ABB. KOENIG. GORM. PICHLER;* quibuscum

634. *Dico.* Nulla in causa tenetur, aut potest judex condemnare juridice probatum reum, quem scientia privata scit esse innocentem.

*Prob.* Nullum jus, sive naturale, sive divinum, sive humanum dat facultatem judici, condemnandi probatum reum, quem scit, esse innocentem; sed potius id prohibent jura singula; ergo.

*Prob. Ant. 1<sup>o</sup>. de jure naturali.* Jus naturale, ipsaque justitiæ natura, tam commutativæ, quam vindicativæ exigit æqualitatem et proportionem inter solutionem et obligationem, pœnam et culpam: sed nulla est æqualitas inter solutionem veram et obligationem nullam; nulla proportio inter pœnam veram et culpam nullam; ergo.

*2<sup>o</sup>.* Nec jus divinum hoc permittit; ubi enim tale extat? Certe si scrutemur jus divinum *V. T.* contrarium reperimus *Exod. 23. v. 1.* *Non suscipies vocem*



*mendacii. Et v. 2. Non sequeris turbam ad faciendum malum; nec in iudicio, plurimorum acquiesces sententiae, ut a vero devies.* Respondent adversarii, hic prohiberi iudici, ne se jungat testibus mendacibus, occidatque, vel condemnet eum, qui iudice probatus est innocens. At haec responsio videtur adversari litterae; quomodo enim iudice probatus est innocens, ubi plurimorum contra sunt testimonia? Sed neque aliquid ex T. N. pro condemnando tali innocente potest erui, ut constabit solutione objectionum.

3<sup>o</sup>. Nec *jus humanum* hanc facultatem iudici tribuit; sed potius prohibet. Nam 1. *Jus Canonicum c. 1. de sent. et re jud. in 6.* praecipit, ut iudices Ecclesiastici procedant *secundum conscientiam et justitiam; cum aeterni tribunal judicis reum non habeat, quem injuste iudex condemnat*: ac demum generaliter vult, eos *praec oculis habere solum Deum*. Sed nec secundum *conscientiam*, nec *justitiam*, iudex condemnaret hunc innocentem; nec eum aeterni tribunal judicis habet reum; nec in eo condemnando praec oculis haberet Deum, sed mendacium, et calumniam. Respondēbis forsitan, quod aeterni judicis tribunal etiam habeat reum illum, non quidem pro interno, sed externo foro. At sane concipi non potest, quomodo aeterna Veritas, aeterna omnis rectitudinis origo et regula possit innocentem pro ullo foro habere reum, qui talis praecise probatus mendacio et calumnia?

2. *Jus civile* vero, dum praecipit, ut iudex procedat secundum allegata et probata, ideo praecise ita ordinat, ut iudici constet de veritate, ac removeatur, quoad fieri potest, periculum, ne alias in sententia ferenda praedijudicet veriori causae, ut constat ex *L. 6. ff. de off. Praes. ubi: Praeses provinciae id sequatur, quod convenit cum ex fide eorum, quae probabuntur, ne veritas vitietur erroribus*; dum ergo iudici de veritate constat, quae sola est finis legum, dum volunt adduci probationes, testes, etc. sane dici non potest, jus tunc velle, iudicem sequi testes falsos; ne, dum has cautelas statuit in bonum innocentis, hic per easdem opprimatur contra *R. J. 61. in 6.* Deinde *Nov. 90. de testib.* jubetur iudex excutere diligenter fidem testium, rejicere testes suspectos, etc. Qua ratione igitur quis praesumeret, velle jus, ut iudex sequatur testes falsos, mendaces? Porro per *L. 29. ff. de probat.* veritas fortior est praesumptione descendente ex actis et probatis publicis; ergo haud dubie fortior erit mendaciis et calumnia.

*Conf. 1.* Iudex nequit sequi sententiam probabilem relicta probabiliore, juxta prop. damnatam; ergo multo minus falsam relicta certa.

*Conf. 2.* Nec iudici, nec Reipublicae concessum est jus directe in vitam innocentis; ergo nullo casu licet iudici vel Reipublicae hunc spoliare vita.

635. *Obj. I.* Lex naturalis et divina prohibent solum, occidere innocentem *ex intentione*, non vero praeter intentionem, exercendo rem licitam, et fungendo debito officio, ut patet ex occisione invasoris materialiter injusti, et eversione turris, in qua simul cum hostibus degunt innocentes. Item, jus naturae et divinum prohibent solum, occidere innocentem de facto, et jure; non vero innocentem de facto, et reum de jure, qualis est, qui probatus est reus.

*II.* Juxta Deut. 17. v. 6. *In ore duorum, aut trium testium peribit, qui interficietur*: ac cap. 19. v. 15. *In ore duorum, aut trium testium stabit omne verbum*, quod Christus repetit Matthi. 18. v. 16.; ergo.

*III.* Juxta S. Ambros. serm. 20. in Ps. 118. *relatum Can. Judicet. Caus. 3. q. 7. Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, et domestica proposito voluntatis; sed juxta leges et jura pronunciat... nihil paratum et mediatum domo defert; sed sicut audit, et judicat.* Et S. Augustin. Lib. de Poenit. c. 3. *relatum Can. quamvis. Caus. XI. q. 3. Quamvis vera sint quaedam, non tamen iudici sunt credenda, nisi certis indiciis demonstrantur.* Ergo.

*IV.* Per *c. Pastoralis. 28. §. quia vero. de offic. et Potest. Jud. deleg.* praecipitur iudici, cui demandatur executio sententiae, ut hanc exequatur, licet sciat esse injustam; ergo idem facere debet iudex in nostro casu.

*V.* Jura generaliter volunt decidi causas secundum allegata et probata, *L. 6. ff. de offic. Praes.*

*VI.* Iudex fungitur persona publica; ergo in decidendis causis sequi debet scientiam publicam, quam habet ex allegatis et probatis; non vero opinionem suam privatam, aut scientiam *facti*. *Conf.* Iudex sustinet personam Reipublicae; ergo debet judicare, sicut judicaret Respublica: atqui haec judicaret secundum scientiam publicam; in Republica enim non datur scientia privata, cum omnis scientia Reipublicae tanquam communitatis sit publica, haec vero si adsit, non est necessaria discussio testium.

*VII.* Respublica habet dominium altum in bona subditorum, vi cujus de his potest disponere ad exigentiam boni publici: atqui hoc exigit condemnari etiam innocentem, quando probatus est reus, quia alias daretur ansa iudicibus, ut se corrumpi sinerent, ut impunitos dimittant malefactores sub praetextu innocentiae.

*VIII.* Iudex potest, ac debet absolvere eum, qui publice per testes probatus est innocens, etiamsi privata scientia eum noverit esse reum; ergo etiam a contrario.

*IX.* Quid enim aliud faceret iudex, quando aliud medium liberandi innocentem nihil proficit? An cedat officio? at hoc nimis durum est; praesertim si sit iudex supremus; quem, ut potius cedat regno, vel imperio, nemo obligabit cum tanto Reipublicae damno.

636. *Ad 1<sup>um</sup>. N. suppos. part. 1<sup>ae</sup>.* quod in praesenti casu iudex occidat solum praeter intentionem, exercendo rem licitam ac fungendo officio, innocentem; cum innocentem occidere sit intrinsece malum, omniaque prohibeant jura; ergo directe hunc occideret. Unde disparitas est 1<sup>o</sup>. quoad aggressorem materialiter injustum; quia, etsi solum sit materialiter nocens, ut furiosus, amens, ebrius, etc. ob defectum rationis; vere tamen nocens est; ergo cum quilibet jus habeat tuendi vitam, licite, servato moderamine inculpatae tutelae, dum vita propria aliter servari non potest; talis aggressor solum materialiter nocens occiditur. 2<sup>o</sup>. Quoad dejectionem turris; quia occisio innocentum est per accidens, nec directe intenta ab expugnatore belli duce, qui directe intendit expugnationem urbis, et turris hostilis, ex qua solum per accidens et indirecte contra intentionem ducis sequitur mors innocentis. Econtra in nostro casu sententia iudicis nullum habet objectum immediatius, in quod tendat; ergo directe tendet in caedem innocentis, quod nunquam licet; eodem enim modo tendit iudex condemnans, quem scit innocentem, ac condemnans, quem scit nocentem. Nec dici potest, quod iudex directe intendat servare praescriptam juris formam, unde praeter ejus



intentionem, indirecte sequitur mors innocentis; nam tota illa iudicii forma est constituta, ne vitietur veritas; in favorem innocentiae, ne hæc opprimatur; ergo hæc non potest esse objectum immediatum sententiæ condemnatoriae innocentis, ne contra *R. J. 61. in 6.* quod est in alicujus favorem concessum, in ejus retorqueatur dispendium. Quod si tamen adhuc intentionem extrinsecam fingas; se pariter excusabit Pilatus, quod condemnando Christum intenderit directe impedire tumultum populi.

*Ad 2<sup>am</sup>. part. N. suppos.* quod jura velint haberi reum, qui talis solum probatus a testibus falsis. Constat ex dictis in *Concl.*

*Ad 2<sup>am</sup>. R. N. Cons.* Etsi enim dicatur verbis affirmativis: in ore duorum, vel trium testium *peribit...* stabit omne verbum: sensus tamen negativus est, quod plures testes non sint necessarii; unus vero non sit sufficiens, ut feratur sententia condemnatoria. Constat ex *Exod. 23. v. 2.* ubi: *nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies. v. 7. mendacium fugies.* Si igitur contra veritatem in iudicio plurimorum maligna testimonia jubeantur rejici, quomodo in ore duorum, vel trium falsorum testium continuo peribit, dum iudici constat de innocentia?

*Ad 3<sup>am</sup>. R. N. Cons.* Ambo enim loquuntur de eo, quod ordinarie fit, quando iudici non constat de veritate; nec alius sensus utriusque canonis tribui citra figmentum potest; nam in primo immediate subditur ex *S. AMBR. et sicut se habet negotii naturâ, decernit... examinat causæ merita, non mutat... in iudicando magis cordi sit veritatis custodia;* ergo hanc prævalere vult. In altero hunc sensum esse Rubrica demonstrat: *non credantur, quæ certis iudiciis non demonstrantur;* quomodo igitur credantur, quæ non nisi mendaciis demonstrantur?

*Ad 4<sup>am</sup>. R. N.* quod possit exequi sententiam certo ac notorie injustam. Alioquin excusabis Christi ac Martyrum carnifices; ac aliunde certum est, magis obediendum esse Deo, prohibenti omnem injustitiam, quam homini præcipienti injustum. Unde *ro sciat a Pontifice latius sumitur pro opinione, quando sententia non est notorie injusta: ut colligitur ex eod. c. dum inquit: mandatarii non esse, examinare sententiam, cujus ipsi executio tantum demandatur.*

*Ad 5<sup>am</sup>. R. D.* Quando iudici aliunde de veritate non constat *C. secus N.* Jubetur hanc formam sequi, *ne vitietur veritas.* Non igitur si hæc vitietur, ac opprimeretur innocentia.

*Ad 6<sup>am</sup>. R. D.* Est persona publica ratione officii *C.* ut sequatur errorem; mendacium, calumniam, quam scit alteri impingi *N.*

*Ad Conf. R.* Sophisma hoc seipsum jugulat, vel nimium probat; si enim iudex sustineat personam Reipublicæ ac iudicare debeat, sicut ipsa iudicaret Respublica; hæc vero iudicaret juxta scientiam publicam, cum Reipublicæ scientia sit publica; ergo etiam, quando Reipublicæ constaret de veritate et innocentia, secundum hanc scientiam publicam iudicaret: sed quomodo hoc casu iudicaret? condemnando? minime; ergo nec iudex hic iudicare debet. Unde *D. min. subs.* Sed Respublica iudicaret secundum scientiam publicam condemnando, quando non constaret Reipublicæ de veritate *C.* si constaret de veritate *N.* Sed si constaret Reipublicæ de veritate, secundum hanc scientiam non condemnaret; saltem non posset.

*Ad 7<sup>am</sup>. R.* Saltem dominium altum in vitam certo Respublica non habet.

In civilibus quidem habet, sed *N. min. cum prob.* Talia enim delicta præsumi non oportet; vel pariter dicam, adversariorum doctrinam ansam dare hominibus malevolis, ut perfide conspirent falsis testimoniis contra inimicum, si noverint, debere iudicem semper ex officio deferre duorum depositioni testium. Deinde hoc periculum corruptionis non habet locum; quia in foro externo ipsi iudici, asserenti reum publice convictum esse innocentem, non habetur fides, nisi id probet.

*Ad 8<sup>am</sup>. R. C. A. N. Cons.* Disparitas est: dimittere nocentem, maxime occultum, nulli juri adversatur, nec per hoc ulli infertur injuria: ac condemnare innocentem *capitis*, intrinsece malum est; sed et *in civilibus* adversatur justitiæ, ipsique legum fini; ac innocenti irrogatur injuria.

*Ad 9<sup>am</sup>. R.* In causa capitali, si nullum ex dictis n. 629. succedat (quod tamen vix possibile, ut controversia hæc prope sit de casu metaphysico) tum, si iudex inferior sit, potius cedere debet officio: neque hoc nimis durum videri debet, cum vita alterius sit superioris ordinis bonum, ac generaliter nullius boni temporalis vel retinendi, vel acquirendi causa liceat committere rem intrinsece malam, qualis est innocentis occisio: si vero iudex supremus sit summus Princeps, poterit sua auctoritate dimittere innocentem liberum; cum vi *juris aggratiandi* possit usque adeo vere reo facere vitæ gratiam; pariter in civilibus potest absolvere, quem certo scit innocentem, cum summus Princeps his legibus de forma iudicii non adstringatur: iudex vero inferior in civilibus, si ipse periclitaretur de officio, nisi condemnaret innocentem, non tenetur tanto suo incommodo procurare bonum alterius; ac condemnatus, cum hac sententia haud obligetur in conscientia, uti potest compensatione occulta; vel alio tempore resuscitare causam, instituendo processum de novo, etc.

### CAPUT III.

#### DE ACTU JUSTITIE SIVE JUDICIO.

637. Iudicium, ut hic spectatur, est legitima causæ actorem inter et reum controversæ per iudicem facta discussio, et definitio, arg. *c. Forus. 10. de V. S. L. 9. 13. C. h. t.* Importat data definitio omnes partes principales constitutivas iudicii; et personas necessarias, *causam*, sive, ut dici solet, punctum litis; *iudicem*; *actorem* (in causis criminalibus *accusator* dicitur) qui alteri litem movet; *reum*, non a reatu theologico sic dictum, sed cui lis movetur. Cæteræ personæ, quæ in iudicio adesse solent, ut assessores, notarii, nuncii et similes, minus principaliter iudicium constituunt; demum *sententiam*, iudicii finem, ac terminum. Dividitur vero a Jurisconsultis iudicium præcipue 1<sup>o</sup>. in *ecclesiasticum*, quod coram iudice ecclesiastico qua tali, quia causa est fori ecclesiastici, agitur; et *seculare*, quod coram iudice seculari qua tali. 2<sup>o</sup>. In *ordinarium*, in quo solemnis juris ordo servatur, offerendo libellum, contestando litem, etc. et *extraordina-*